



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

IX. Quæ libertas requiratur ad religionis ingressum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

& illud rarius est, & viri facilius possunt iniuriam propulsare, ideo humana lex solum fragilitati foeminarum prospexit. Solent autem foemina aliquo tempore priusquam habitum suscipiant, monasteria ingredi, & ideo hunc ingressum a susceptione habitum Concilium distinxit. Hinc vero interrogatio oritur, an si quis cogat foeminam ingredi monasterium, non eo animo vt invita permancat, & suscipiat habitum, sed vt ibi custodiat, vel etiam vt paulatim afficiatur, & postea si voluerit, habitum suscipiat, in hanc censuram incurrat. Quia Concilium generatim & indistincte excommunicat eum, qui foeminam ad ingrediendum monasterium cogit. Respondet in primis, si foemina nondum ad annos pubertatis peruenit, & a parentibus vel tutoribus ita cogitur, non solum hac censura non incurritur, verum etiam nec peccatum aliquod, per se loquendo committi videtur, quia parens habet hoc ius, in filiam pro ista aetate vt supra visum est; & alioqui actio ex obiecto est bona, & finis etiam propositus bonus est. Nec credendum est Concilium voluisse priuare parentes hoc naturali iure, cum illud non expresserit. At vero si talis coactio inferatur ab eo, qui non habet potestatem, clarum est actionem esse iniuriosam, ac proinde malam. Atque eadem ratione existimo, regulariter loquendo peccare parentem qui filiam iam puberi hanc vim infert: nam licet aliquando possit excusari, si habitatio illa ad tempus censetur moraliter necessaria ad decentiam vel custodiam virginis, tamen seclusa hac necessitate, cum filia maioris aetatis iam sit sui iuris in his quae ad statum animae pertinent, non potest licite cogi a parente ad tam arctam custodiam, seu clausuram, talemque viuendi modum etiam temporalem. Nihilominus tamen non existimo tunc incurri hanc censuram, nec Concilium fuisse loquutum de hoc ingressu, sed de illo qui per se ordinatur ad susceptionem habitus, & sub hac conditione, seu pactione fit: tum quia in monasteriis monialium hic solus ingressus per se & iure ordinario permittitur: ergo de illo tantum Concilium loquitur, nisi aliud expriment: tum etiam quia in illo ingressu reuera non est malitia contraria status religionis, aut derogans libertati, qua sumendus est, quam solum voluit Concilium praecauere, vt ex verbis eius satis constat. Sola ergo coactio ad ingressum, qui directe, vel in directe ad religionis habitum suscipiendum ordinatur, prohibetur a Concilio: & in hoc sensu vsurpanda sunt quae diximus tom. 5. de cens. disp. 23. sect. 5. n. 9. Adde insuper Concilium limitationem quandam addidisse huic legi & poena, scilicet, nisi coactio fiat in casibus a iure expressis: nam tunc illicita non est, & ideo non est digna poena. Vnus ex his casibus est quando quis vouit religionem, & praecipue si ex hoc voto (quod dici solet propositum mutandi vitam) habitum suscipit, iuxta cap. consulti, cum similibus, de Regular. Alius vero casus est quando coniuges mutuo consensu ingressi sunt religionem, & post professionem vnus alter vult retrocedere, iuxta c. significauit, & vxoratus, de conuers. coniugati.

Si foemina ante annos pubertatis cogatur ad ingressum monasterii, non excommunicatur: parentes, vel tutoris sic cogentes, immo neque peccatum committunt per se loquendo. Parens non potest sine peccato cogere filiam post annos pubertatis ad ingrediendum monasterium ad ducendum, vel custodiam tantum, non eam est propter hoc excommunicatum.

Excommunicatio hac legitur quae per se non.

Obrahitur per solum directam.

Tandem quoad personas & actiones, pro quibus hac censura imponitur, notanda sunt verba Concilii, nam quoad personas sunt valde generalia, scilicet, Omnes & singulas personas, cuiuscuque qualitates vel conditionis fuerint, tam clericos, quam laicos, seculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes. Quoad actiones vero in primis fertur in eos, qui quomodocumque coegerint, nisi in casibus iure expressis, atque adeo illicite & contra iustitiam. Per illam autem particulam, quomodocumque, significatur non solum directam, sed etiam indirectam coactionem sufficere, qualis est illa, quam parens infert foeminae in vi-

ctu, vestitu, verbis & aliis actibus contumeliose illam tractando, & affligendo. Existimo autem semper esse necessarium hoc fieri tali intentione, vt illa taedio affecta tandem ingrediatur: nam si solum id faciat vel ex defectu amoris, vel ex naturali conditione, licet sequatur hic effectus, non incurretur hac censura, dummodo tempore ingressus pater non intelligat, filiam non sponte ingredi monasterium: nam si hoc intelligens consentiret, & aliud remedium non adhiberet, iam tunc violentia moralis consummaretur. Maxime, quia statim Concilium extendit hanc censuram ad omnes, qui consilium, auxilium, vel suorem dederint, qui sciens eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eadem actus vel praesentiam, vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Hac autem omnia ad coactionem referuntur, & ideo si illa non interueniat, non habet locum hac censura. Vnde licet dolus non minus causet iniuriositatem quam coactio, nihilominus qui consilio suo decipit, vel deceptioni cooperatur, vt foemina monasterium ingrediatur, non incurrit hanc censuram, quia illa non est coactio, & lex poenalis non est extendenda ad casum similem. Hinc etiam Cardinalium congregatio censuit non incurri hanc censuram, patrem qui filiam relinquit haereditatem, ea conditione vt monasterium ingrediatur, quod si noluerit, monasterium instituit, filiae autem solum relinquit alimenta necessaria, quia illa non est coactio, nec inductio per vim, sed potius per modum beneficentiae. Tandem declaratur iudicium Cardinales foeminam sic inclusam per vim in monasterium, educendam esse, & si aliquid nocuum ob eam causam passa est, eorum expensis compensandum esse, qui talem vim intulerunt.

Secundus defectus, qui aduersatur libertati ad ingressum religionis requisitus, est deceptio, circa qua aduertendum est de deceptione in hoc ingressu posse interuenire, & ex parte religionis, & ex parte religiosi, & vitamque sufficere, vt in hoc negotio debitus modus non seruetur. Deinde est aduertendum quidquid grauioris culpa in tali ingressu ex deceptione interuenire potest, magis esse in decipiente, quam in eo qui decipitur: in hoc enim ad summum esse potest imprudentia aliqua vel facilitas in credendo ex leuitate animi, aut ex nimia affectione proueniens, quae regulariter excusari poterit a graui culpa, maxime in ipso ingrediente: nam ex parte recipientis maior est obligatio adhibendi diligentiam, tum quia non tractat rem priuatam vt propriam, sed pertinentem ad commune bonum religionis, tum etiam, quia ex officio ad id tenetur. Ex parte autem decipientis ex obiecto suo grauis est talis culpa, quia iniustitiam continet, quamquam si deceptio sit in re leui, quae non possit multum mouere voluntatem, excusabitur culpa mortalis, vel etiam si non sit formalis, seu ex intentione decipiendi, sed tantum materialis, saltem directe: nam tunc licet indirecte propter negligentiam sit aliquo modo voluntaria, raro erit mortalis culpa. An vero ob talem deceptionem actio sit nulla, circa professionem tractandam est: nam in ingressu, seu receptione, vt supra dixi, non habet specialem difficultatem, quia nulla est lex positiva absolute irritans talem receptionem praeter constitutionem Sixti V. quam infra exponam: seclusa autem speciali lege irritante receptio non potest esse nulla, nisi in ordine ad professionem durante eodem defectu, quando ille talis est vt professionem irritet, nisi per aliam voluntatem perfecte liberam, seu ex perfecta scientia prior ingressus vel receptio rata habeatur.

Atque

vt indiretam.

Non incurritur hanc censuram pater qui relinquit haereditatem filiae ex conditione, vt ingrediatur monasterium.

Deceptio potest esse vel ex parte religionis, vel ex parte religiosi.

Deceptio religionis, ingrediendi, aut ex parte recipientis, magis est in decipiente, quam in eo qui decipitur.

Deceptio materialis, saltem directe, non est mortalis culpa.

Aequè hinc colligitur grauer peccare eum, qui consilium præbet petenti, vt religionem vel talem religionem ingrediatur, decipiens illum, quia aliàs intelligit, vel se cum iudicat illum non esse aptum ad talem statum, vel simpliciter ei non expedire, quia decipit illum in re graui, & munere consilii abutitur, cum teneatur illud fideliter exercere, eo ipso quod illud acceptat. In huiusmodi autem persona, quando bona fide procedit, facile habet locum excusatio à culpa graui, quia non id consilium animo decipiendi, sed fortasse ex nimio timore, vt maius alterius bonum impediatur. Debet tamen vir prudens hunc timorem cohibere, nam si pura intentione procedat, non peccabit, sed rectè facit consulendo, quod coram Deo indicat esse hinc & nunc melius, etiam si suo consilio aliter à religione desistat. Potest autem hic non immerito interrogari, an è conuerso peccet mortaliter, qui suo consilio alium à religione auertit, decipiendo illum, vel quia reuera intelligit, nihil esse in illo quod vitium religionis impediatur, vel quia temerè & sine sufficienti consideratione ex humano affectu consilium præbet. Quiddam enim existimant hoc per se non esse peccatum mortale, quia licet sit deceptio, non est in bonis necessarius ad salutem, neque inde redundat aliquod graue onus in eam, qui decipitur. In quo videtur esse differentia, inter hanc deceptionem, & præcedentem. Nam cum quis per deceptionem cogitur religionem intrare, inuoluntariè suscipere cogitur graue onus, simulque religioni fit iniuria, nam etiam oneratur persona sibi minime conueniente. At verò quando aliquis per deceptionem à religione remouetur, nec bono sibi debito priuatur, nec damno aliquo afficitur. Eademque ratio est de religione, quia nulla est fit propria iniuria.

Nihilominus existimo etiam hanc deceptionem ex suo genere peccatum esse mortale, quia grauem iniuriam continet contra talem personam, & aliquando etiam contra religionem. Ratio in primis est, quia deceptio ex se est mala, & iniuriosa proximo, maxime quando intercedit consultatio: nam, vt supra dicebam, qui accipit consilium munus, eo ipso veluti ex quodam tacito pacto obligatur ad consilium fideliter præstandum. Quæ obligatio maior est, quando consilium ad bonos mores pertinet, & deceptio non fit sine magno detrimento eius qui decipitur; quæ omnia in præsentem concurrunt, & ideo non dubio quin talis deceptio grauem iniuriam contineat. Nec refert quod bonum religionis non sit necessarium ad salutem, sed supererogationis, quia hoc non obstat, quominus carentia talis boni sit magnum detrimentum, quod inuoluntariè quis patitur per medium iniquum, & iustitiæ contrarium. Nam etià obtinere beneficium non est necessarium, nec etiam interdum ad hanc vitam transgredam, & tamen per deceptionem impedire aliud ne illud obtineat, est sine dubio grauis iniuria: ergo à fortiori in præsentem. Et confirmatur, nam impedire alium per vim ne religionem ingrediatur, est peccatum mortale: ergo & per deceptionem, nam hæc duo in rebus moralibus equiparantur.

Ex quo infero primò hoc peccatum per se, & ex vitalis obiecti graue esse, etiam si aliam iniuriam non contineat, sæpe autem ex alio capite posse augeri, & duplicatam iniuriam continere. Prior pars satis probata est. Posterior declarat, quia hæc deceptio sæpe fit grauius detrahendo, vel de religioso statu, vel de aliqua religione in particulari, vt alter ab eius affectu auertatur, & tunc peccatum deceptionis adiungitur peccato defectionis, quod per se graue est, & circumstantiam specie distinctam, ac proinde in consilio ne aperendam addit. Sequitur

secundò, hoc peccatum non solum committi, quando quispiam respondet petenti consilium, decipiendo illum, sed etiam quando propria sponte quis se ingerit ad suggerendum prauum consilium, quo alium decipiat, & à bono proposito auertat, quia grauitas huius iniuriæ non consistit præcipue in abutendo munere consilii (quamuis hæc circumstantia, quando interuenit, non parum augeat malitiam) sed ad eam sufficit deceptio cum tam graui nocimento, sicut sufficit violentia. Vnde è contrario colligi potest si quis absque iniuria violentiæ, aut deceptionis alium auertat ab ingressu religionis precibus, vel promissionibus, illud non esset ex genere suo peccatum mortale, quia ibi non interuenit iniuria; neque inductio ad malum, neque auersio, seu abstractio à bono ad salutem necessario; cur ergo ibi erit grauis malitia? Nam licet alter graue detrimentum patiat, non tamen inuoluntariè, sicut per vim, aut deceptionem; sed quia liberè consentit: ergo inde non redundat in alium malitia, saltem mortalis. Sed licet verum sit tunc non esse tam graue peccatum, est tamen sine dubio peccatum multum repugnans ordini charitatis, & respectu Dei, à cuius maiori obsequio homo separatur, & respectu ipsius proximi, quia à maiori bono impeditur, quòd licet precibus fiat, alienum est ab officio Christianæ amicitiae. Accedit etiam quòd per hoc sæpe Spiritui sancto mouenti resistitur, quod maiorem deformitatem habet in tertia persona, quam in ipso qui vocatur, nã ipsemet Spiritus sanctus, dum necessitate præcepti non imponit, concedit licentiam homini vocato, vt suo iure libere vtatur; grauius autem fert quòd alius ad quem illa delibetatio non spectat, suis consiliis, & inspirationibus resistat. Quare licet in hoc peccato non sit iniustitia, tamen contra charitatem, sæpe potest esse malitia grauis, præsertim si preces, seu inductio nimis sint importuna, & contra Spiritus sancti vocationem mortaliter certæ, & absque vilo rationabili titulo, & causa. Eritque maior culpa, si quis absolute intendat impedire ingressum: nam si solum intendat vt differatur, minor erit culpa, & talis potest esse causa, vt esset nulla. Sic enim excusari possunt parentes, qui aliquantulum filios detinent, vt eorum constantiam experiantur, vel eorum vocationem magis examinent. Et iuxta hæc de aliis cõsendum est, semperque quoad fieri possit, est in fauorem religionis inclinandum.

Tertiò videtur ex dictis consequenter sequi, quoties interuenit iniuria per vim, vel deceptionem, obligationem restituendi in eo, qui iniuriam intulit, quia illa iniuria contra iustitiam commutaturam est, ex huiusmodi autem iniuria intrinsece nascitur obligatio restituendi. Veruntamen circa hoc aduertere oportet, si deceptio fiat cum detractio alterius partis, scilicet, vel religionis, vel personæ: de cuius ingressu agimus, primam & manifestam obligationem restituendi esse, vt fama, seu bona opinio eius quod detractum est, reparetur, vt per se constat. Potest enim hæc deceptio vel detractio interdum fieri de religione cum ipsa persona ne ingrediatur, vel è conuerso de persona cum religione ne illam recipiat: vtique ergo cum partitione accommodata satisfaciendum est, ita vt infamatio tollatur. Deinde etiam si detractio non fuerit adiuncta, deceptio ipsa tollenda est, & veritas aperienda, vt pars decepta in suam libertatem restituatur. Quòd si hoc non obstante alter perseueret in priori consilio, & nolit religionem ingredi, vel religio nolit eum acceptare, non credo teneri deceptorem ad ampliora restitutionem: idemque censeo de eo qui vim intulit, quia damnũ illud spirituale aliter reparabile nõ est, nisi alter consentiat, vnde si consentire non vult, iam

Qui auertit alium à religione ingressu sollem precibus, aut promissionibus, nec peccat grauius, nisi preces sint importuna, & sine vlla causa contra certam Spiritus S. vocationem.

10. Colligitur tertiò. Qui decipit in religionem ingressu, non tenetur tollere talis deceptio, vel infamiam detractam, vel vim, si forte illa est.

ex par-

ex parte illius cessat ratio obligationis ad maiorem restitutionem. Ex parte autem religionis non erat illi ius aliquod acquisitum in talem personam, vt propterea maior restitucio illi facienda sit, de qua ro- plura inferius.

11. Excom- munitur qui impo- nitur no- tum sim- plex casti- tatis aut religionis emittant, aut profes- sionem fa- ciunt, qua per veli sus- ceptionem signifi- cantur.

Tandem iuxta dicta exponenda est alia pars de- creti Concilij Tridenti supra tractati sess. 25. c. 13. de Regular. vbi postquam anathema tulit in eos, qui per vim foeminas cogunt ad ingressum religionis, eandem censuram extendit ad eos, qui illas impe- diunt, dicens, *Sim. li. quoque anathemate subicit eos, qui sanctam virginem, vel aliam mulierum voluntatem veli accipiendi, vel votum erendi, quoquo modo sine iusta cau- su impedierint.* Circa qua verba solum occurrit ad- uertendum, censuram hanc duplici modo videri v- niuersaliozem, quam praecedentem. Prior sumitur ex illa disunctiua, *veli accipiendi, vel voti emittendi.* Nam sub priori parte comprehenduntur tres illae, quae in priori membro positae fuerant, scilicet in- gressus, susceptio habitus, & professio; nam quid- quid horum impediatur, impeditur voluntas veli accipiendi. Nam si impeditur ingressus, a fortiori impediatur habitus susceptio religionis propria, de qua est sermo: impedito autem habitu necesse est impediti professionem, quae per veli acceptionem si- gnificatur. Igitur in illa priori parte haec tria com- prehenduntur. Additur vero pars altera, *vel voti e- mittendi,* quae sine dubio aliquid diuersum signifi- care videtur, & ideo non esse intelligenda tantum de voto solenni, quod solum in professione fit, & per veli acceptionem significari solet. Videtur ergo Co- ncilium excommunicare eos, qui foeminas impe- diunt, ne votum etiam simplex emittant, & quia ve- rosimile non est ipsum loqui de quocunque voto, qa hoc nec necessarium erat, nec fortasse conueniens, neque ad intentionem Concilij accommodatum; ideo iuxta subiectam materiam determinandum vi- detur ad votum simplex virginitalis, seu castitatis, per quod specialiter consueverunt foeminae in Eccle- sia consecrari Deo extra proprium religionis statum. Existimo etiam comprehendere votum simplex religio- nis, quod in hac materia eiusdem rationis cen- setur: eo vel maxime, quod qui hoc votum impedit, consequenter, & quasi radicaliter impedit volunta- tem veli accipiendi.

12.

Aliqui vero per voti emissionem intelligunt pro- fessionem ipsam, a qua distinguunt veli susceptio- nem tanquam actionem distinctam. Sed est diffi- cilis expositio, tum quia verba Concilij intelligenda sunt, iuxta usum, quem habent in aliis canonibus; constat autem antiqua Concilia, & Pontificia decreta, quoties de veli acceptione tractant, religio- sam professionem per illam intelligere: tum etiam, quia licet illa duo in eo rigore sumpta, distinguantur, tamen in re non separantur, nec potest vnum si- ne alio impediti: quid ergo necessarium erat in lege morali ea sub disunctione proponere? Et explicatur amplius in hunc modum, nam si in monasterio aliquo monialium sint aliqua veram professionem emittentes, quibus velum non imponatur, quia ad domestica tantum officia recipiuntur; & quispiam impeditur ne aliqua foemina admitteretur ad ve- lum, non tamen impeditur professionem, profectio non incurreret hanc censuram, quia alia circumstan- tia valde accidentaria est, & quia illud non esset im- pedire statum perfectionis, sed signum quoddam honoris, de quo nihil Concilium curabat: ergo per veli acceptionem intelligit non praecise acci- dentalem caeremoniam, sed ipsam substantialem professionem.

13.

Alia ampliatio continetur in illo verbo, *quoquo modo impediatur.* Nam in priori parte dixerat Conci-

lium, *quoquomodoque cogere.* Vniuersaliter autem *causam in-* quid esse videtur quoquo modo impedire, nam im- *contrahen-* peditur quis non tantum per coactionem, sed etiam *dam vique-* multis aliis modis, & caetera comprehendere voluit *ritus, ut* Concilium, si iniusti sint, & ideo phrasim locutionis *iniuste im-* mutauit. Primum ergo clarum est ibi comprehendere *pediat.* omnes qui per vim directe vel indirecte illatam ipsi foeminae, directe impediunt eius voluntatem, scilicet, per graues minas, & caetera similia, vt supra explicatum est. Deinde comprehendere existimo eos qui per similem vim monasterio illatam impediunt, ne ibi admittatur, nam sic etiam iniuste impediunt voluntatem veli accipiendi. Idem censeo si hoc fiat per dolum & fraudem, quae circa monasterium etiam versetur, illud scilicet, circa opinionem de tali foemina decipiendo, si tandem hoc modo voluntas eius de velo accipiendo, impediatur: nam praeter- quam quod tota haec dicit potest quaedam violentia moralis, proprie etiam ac formaliter sub verbis Con- cilij comprehenditur.

Magis dubitari posset de decipiente ipsam foemi- nam, & per illam deceptionem impediendo, ne ve- lum accipiat, vel votum emittat: nam sic decipiens proprie non impedit voluntatem, id est, voluntatis executionem, de qua Concilium loqui videtur; sed facit vt talis voluntas non habeatur, vel vt mute- tur, quod longe diuersum est. Sicut etiam qui preci- bus & promissionibus obtinet a foemina ne conti- nentiam profiteatur, sine dubio impedit ne velum accipiat, aut votum emittat; & tamen nemo dicit illud sub hac censura comprehendere, quia proprie non impedit voluntatem, sed procurat vt voluntas mutetur, vel non habeatur. Et est quidem hoc probabi- le, & quoad hanc posteriozem partem de precibus non dubito, quin ita sit non solum propter ratio- nem factam, sed etiam quia ille modus non conti- net iniustitiam, nec causat proprie voluntarium; & ideo in rigore non est impedimentum, de quo lo- quitur Concilium. De decipiente vero res est magis dubia, & scrupulosa, quia reuera iniuste impedit vo- luntatem, & verba Concilij, *quoquo modo decipiat,* val- de generalia sunt, neque est cur limitetur ad solam executionem voluntatis, quae immutata maneat: nam si ipsa mutatio est inuoluntaria, qualis est illa quae fit per deceptionem, satis impeditur ipsa vo- luntatis a suo desiderio quando per deceptionem fit, vt in eo non persistat. Solum ergo excipit Concilium casum in quo voluntas ex iusta causa impeditur, vt, v.g. quia non superpet facultas temporalis necessaria ad ingressum religionis, vel quia propositum, aut deliberatio non satis examinata est; in his enim ca- sibus cessat iniustitia, & consequenter etiam cessat haec poena.

Tertius defectus qui suo modo minuire potest libertatem ingressus religionis, est simonia; potest enim hic defectus redundare in diminutionem li- bertatis, vel ex parte personae, si pretio dato ad reli- gionis ingressum trahatur, vel ex parte religionis, si propter pretium illum admittat, & ideo hic breuiter explicari potest. Aduertendum igitur est, aliud esse aliquid in pretium religiosi status conferre, aliud ve- ro esse conferre aliquid ea occasione non quidem in pretium, sed vel in cleemosynam, vel ob beneuo- lentiam, vel, quod frequentius est, alimentorum gra- tia: hoc enim posterius non sufficit ad simoniam, sed oportet vt ratio pretij interueniat, vt omnes Do- ctiores in propria materia, specialiter Caiet. in Sum. verb. *Simonia,* & Soto lib. 9. de Iustit. q. 7. art. 1. vnde sic vt praecise ac moraliter loquendo, raro hinc in- gressus sit illicitus titulo simoniae, etiam si largitio ali- qua, vel acceptio alicuius temporalis commodi in- tercedat. Nam in primis constat ex communi vsu *etiam pa-* Ecclesiae

14. Incurritur hac excom- munitio impediendo per dece- ptionem, non vt dicitur per pretij, aut promissio- nes.

15.

Notandum primum, vt dicitur si- monia pro- gressu, de- bet inter- uenire a- ctio pretij. Et non suffi- cient, quod cleemosyna aut largi- tio, seu ali- quod commo- di in seipso

Ecclesia in monasteriis monialium recipi aliquid in congruam sustentationem religionis, & quod dotis nomine solet significari, de qua etiam solet pactum procedere in quo non censetur esse simonia, quia illud non accipitur tanquam pretium professionis, seu religionis, sed causa sustentationis. Atque ita intelligendum est textus in cap. quoniam, de Simonia; consuetudo enim est optima legum interpretis, & textus ille expresse loquitur de pretio; hic autem reuera pretium non interuenit, sed sustentatio. Sic sacerdos dicitur sacrum, qui aliquid in sustentationem recipit, nec Simoniacus est, nec pretium accipit. Vnde eadem ratione, si religio vel monasterium multum indigeat, non erit simonia, si ab eo, qui vult ingredi, postuletur, vt habitum, vel aliquid simile necessarium ad eius sustentationem secum afferat; in quo tamen multum obseruandum est, vt scandalum vitetur. Et ob eandem rationem ait Soro lib. 9. q. 6. art. 2. ad 4. non esse Simoniam manusculis aut beneficiis allicere voluntatem alicuius, vt religionem ingredi velit; & e conuerso non esse simoniam dare prius copiosas elemosinas monasterio, vt illud reddat tibi beneuolum; & pie affectum: dummodo enim omnis suspicio pacti, vel conuentionis tunc cesset, simonia non committitur. Quomodo intelligendum est cap. de regularibus, de Simonia, & cap. quam pio 1. quest. 2. Qua ergo regulariter loquendo si aliqua largitio interuenit, non habet rationem pretij, nec conuentionem, aut obligationem expressam, vel tacitam, ideo dico regulariter non esse ex hoc capite sacrilegam receptionem, vel ingressum: si autem aliquid eiusmodi interuenit, tunc esset damnabilis, iuxta predicta iura. Secluso autem vitio Simoniae possit haec actio esse reprehensibilis, vel ratione scandali, vel si esset nimia qua libertatem ingredientis per debitam intentionem impediret, vt saepe contingit, quando aliquis humano modo affectus per haec temporalia beneficia sine sufficienti deliberatione & consideratione, & propter humana etiam motiua habitum religionis suscipit. Quanta vero & quam grauis sit talis culpa, ex circumstantiis personarum, & actionum prudenter pensandum est.

Secundo obseruandum est hoc loco decretum Concilii Tridentini sess. 25. cap. 17. de Regular. vbi statuit, *Ne ante profess. omni excepto vitio & veltu nouitij, vel nouitiae, illius temporis, quo in probatione est, quocumque processu a parentibus, vel propinquis, aut c. ratoribus eius, sine dispensatione alicuius ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione sine dispensatione nequeat, quod totum, vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat.* Et infra addit poenam his verbis, *sub anathematis poena.* In quo primo obseruandum est Concilium non prohibere hanc largitionem tanquam per se illicitam, sed vt semper consulat libertati nouitij. Et ideo non prohibet illam simpliciter, & pro omni tempore, sed ante professionem; illius ergo professione (quod antea dicebamus) bona nouitij tribuere monasterio, non est malum, sed laudabile, si iusto titulo, vel liberaliter fiat. Deinde etiam ante professionem non prohibet huiusmodi largitionem fieri ex quibuscumque bonis, sed ex bonis eiusdem nouitij. Vnde si parentes, propinqui, vel amici de suis propriis bonis aliquid velint tribuere monasterio in gratiam nouitij, vt beneuolentius tractetur, vel suscipiatur, non ageret contra hoc decretum, quia textus expresse dicit, *de bonis eius*, & quia tunc non habet locum ratio Concilii: nam per hoc nihil minuetur libertas nouitij, quia cum illa bona ad illum non pertineant, neque illa recipere possit, aut debeat, inde non fit difficultior eius ingressus, si religionem dimittere voluerit: item quia Concilium vitat hoc verbo, *tribuatur*, dubitari potest an per modum mutui possit dos,

Et Suarez de statu relig. tom. 3.

v.g. quae promissa est moniali, ante professionem conferri, quia mutuum non est tribuere, & lex odiosa ad rigorem verborum coartanda est. Nihilominus haec videtur esse magna fraus legis, quia non minus ex mutuo, quam ex alia largitione impeditur libertas nouitij: nam etiam saepe difficile recuperatur quod titulo mutui datum est. Et vel maxime, quod hic non potest absoluta donatio interuenire, sed solum sub ea conditione, si nouitius perseuerauerit: ergo hanc & quamcunque aliam, quae virtute illam includat, prohibet Concilium, in illo autem mutuo similis donatio virtute includitur. Nam si nouitius perseueret, obligatio reddendi ex mutuo cessabit. Censeo igitur hoc etiam esse prohibitum, & per verbum tribuendi intellexisse Concilium quamcunque actualem traditionem bonorum nouitij, per quam in potestatem, vsum, administrationem, vel etiam dominium religionis deueniant, non obstante quacumque obligatione illa reddendi, si nouitius habitum dimittat. Neque existimo admittendam excusationem, quam aliqui praetendunt, scilicet, tale esse monasterium, vt sine vlla difficultate possint ab eo recuperari quaecumque bona: nam etiam si hoc supponatur, non propterea cessat prohibitio Concilii, quia cessante sine legis in particulari, non cessat obligatio legis nonnulla autem verisimilitudo esse posset, si bona mutuo darentur monasterio restituenda ante tempus professionis, vt, v.g. ad quinque vel sex menses, tunc enim non solum in particulari casu, sed etiam per se, & ex vi talis actionis cessare videretur finis Concilii, nec videtur illa esse largitio simpliciter, etiam iuxta subiectam materiam, quia non conceduntur talia bona sub ea tantum conditione, nisi nouitius retrocedat, sed vt restituantur ante possessionem, etiam si ipse perseueret. Sed nihilominus existimo talem mutuacionem esse alienam ab intentione Concilii, & non carere scrupulo, quia saltem retardare potest nouitium, ne ante solum a religione debitum, religionem dimittat, etiam si id desideret. Item, quia post acceptum tale mutuum facile est religioni solutionem differere, spe retinendi nouitium; & e conuerso difficile erit parentibus religione compellere, vt soluat, sed potius in gratiam nouitij conuincunt. Quapropter ab omni actione huiusmodi, vel specie illius, abstinendum est. Aduertere tamen vltimo oportet, si quid in hoc peccetur, non incurri propterea excommunicationem ipso facto donec imponatur, quia verba Concilii solum sunt, *sancta Synodus praecipit dantibus & recipientibus sub anathematis poena, ne hoc vilo modo fiat,* cum ergo non dixerit, *ipso facto incurrenda*, neque aliud verbum aequiualens addiderit, non sententiam latam, sed ferendam indicare voluit, iuxta receptam doctrinam. Ponderandum autem est verbum *illud*, *ne hoc vilo modo*, nam confirmat omnia quae diximus.

mutuum ex bonis nouitij esse prohibetur a Concilio.

CAPVT X.

De aquo & qua forma receptio facienda sit, vt ingressus sit validus & licitus.

Non potest quis religionem ingredi, nisi ab ea recipiatur, nam haec correlatiua sunt veluti partes humani contractus, qui non potest nisi mutuo consensu perfici. Cum ergo sufficienter videatur explicata ea, quae ad hunc actum ex parte personae ingredientis pertinet, sub qua habitudine ingressus appellatur: reliquum est vt de receptione quae habitudinem dicit ad aliud extremum, scilicet religionem, disseramus. Duo autem ad hunc actum sunt necessaria, scilicet potestas, & debitus vltus eius, qui in modo recipiendi consistit: haec igitur duo explicanda sunt.

T Circa